



CICERO

DE NATURA DEORUM ACADEMICA

WITH AN ENGLISH TRANSLATION BY
H. RACKHAM, M.A.

UNIVERSITY LECTURER, AND FELLOW AND LECTURER OF
CHRIST'S COLLEGE, CAMBRIDGE



CAMBRIDGE, MASSACHUSETTS
HARVARD UNIVERSITY PRESS
LONDON
WILLIAM HEINEMANN LTD
MCMLVI

STEVENSON LIBRARY BARD COLLEGE
Annandale-on-Hudson, N.Y. 12504

CONTENTS

DE NATURA DEORUM:

INTRODUCTION—

	PAGE
Subject of <i>De Natura Deorum</i>	vii
Post-Aristotelian philosophy	vii
Epicurean theology	viii
Stoic theology	viii
Academic scepticism	ix
Cicero's work in philosophy	x
Date of composition of <i>De Natura Deorum</i>	xii
<i>De Natura Deorum</i> unfinished	xiii
Summary of <i>De Natura Deorum</i>	xiii
<i>Dramatis personae</i>	xiv
Supposed date of the dialogue	xv
Sources of <i>De Natura Deorum</i>	xv
MSS. of <i>De Natura Deorum</i>	xviii
Editions	xviii
BOOK I.	2
BOOK II.	122
BOOK III.	286
FRAGMENTS	384
INDEX	388

CONTENTS

ACADEMICA :

INTRODUCTION—

PAGE

Dates of composition and revision . . . 399

Subject of *Academica* . . . 400

Dramatis personae . . . 402

Imaginary date of the dialogue . . . 403

Sources of *Academica* . . . 404

MSS. of *Academica* : . . . 405

Editions . . . 405

DEDICATORY LETTER . . . 406

BOOK I . . . 410

BOOK II . . . 464

INDEX . . . 660

ea praestitisse quae ratio et doctrina praescripserit.
 IV. Sin autem quis requirit quae causa nos inpulerit
 ut haec tam sero litteris mandarem, nihil est quod
 expedire tam facile possimus. Nam cum otio lan-
 gueremus et is esset rei publicae status ut eam
 unius consilio atque cura gubernari necesse esset,
 primum ipsius rei publicae causa philosophiam nostris
 hominibus explicandam putavi, magni existimans
 interesse ad decus et ad laudem civitatis res tam
 gravis tamque praeclaras Latinis etiam litteris con-
 8 tineri; eoque me minus instituti mei paenitet quod
 facile sentio quam multorum non modo discendi sed
 etiam scribendi studia commoverim. Complures
 enim Graecis institutionibus eruditi ea quae didi-
 cerant cum civibus suis communicare non poterant,
 quod illa quae a Graecis acceperant Latine dici posse
 diffident: quo in genere tantum profecisse videmur
 ut a Graecis ne verborum quidem copia vincere-
 9 mur. Hortata etiam est ut me ad haec conferrem
 animi aegritudo fortunae magna et gravi commota
 iniuria; cuius si maiorem aliquam levationem reperire
 potuissem, non ad hanc potissimum confugissem,
 ea vero ipsa nulla ratione melius frui potui quam si
 me non modo ad legendos libros sed etiam ad totam

^a The death of his daughter in 45 B.C.

comparatis artes quoque efficimus partim ad usum vitae partim ad oblectationem necessarias. Iam vero domina rerum, ut vos soletis dicere, eloquendi vis quam est praeclara quamque divina: quae primum efficit ut et ea quae ignoramus discere et ea quae scimus alios docere possimus; deinde hac cohortamur hac persuademus, hac consolamur afflictos hac deducimus perterritos a timore, hac gestientes comprimimus hac cupiditates iracundiasque restingui-
 149 mus, haec nos iuris legum urbium societate devinxit, haec a vita inmani et fera segregavit. Ad usum autem orationis incredibile est, si¹ diligenter attenderis, quanta opera machinata natura sit. Primum enim a pulmonibus arteria usque ad os intimum pertinet, per quam vox principium a mente ducens percipitur et funditur. Deinde in ore sita lingua est finita² dentibus; ea vocem immoderate profusam fingit et terminat atque sonos vocis distinctos et pressos efficit cum et³ dentes et⁴ alias partes pellit oris. Itaque plectri similem linguam nostri solent dicere, chordarum dentes, nares cornibus iis qui ad nervos resonant in cantibus.

150 LX. "Quam vero aptas quamque multarum artium ministras manus natura homini dedit. Digitorum enim contractio facilis facilisque porrectio propter molles commissuras et artus nullo in motu laborat. Itaque ad pingendum, <ad>⁵ fingendum, ad scalpendum, ad nervorum eliciendos sonos ac tibiaram apta manus est admotione digitorum. Atque haec

¹ si *Madvig*: nisi.

² munita *Baenemann*.

³ et ad *A* corr.

⁴ et ad *A*.

⁵ add. *Ald.*: [fingendum] ? cf. § 145 ed.

^a The vibration of the hollow horns no doubt intensified the sound of the strings.

incohasti, ad impellendum satis, ad edocendum parum.

10 Causam autem probabilem tu quidem adfers, aut enim Graeca legere malent qui erunt eruditi, aut ne haec quidem qui illa nesciunt; sed da mihi nunc—satisne probas? Immo vero et haec qui illa non poterunt et qui Graeca poterunt non contemnent sua. Quid enim causae est cur poëtas Latinos Graecis litteris eruditi legant, philosophos non legant? An quia delectat Ennius, Pacuvius, Attius, multi alii, qui non verba sed vim Graecorum expresserunt poëtarum? Quanto magis philosophi delectabunt, si, ut illi Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, sic hi Platonem imitentur, Aristotelem, Theophrastum? Oratores quidem laudari video, si qui e nostris Hyperidem sint

11 aut Demosthenem imitati. Ego autem (dicam enim ut res est), dum me ambitio, dum honores, dum causae, dum rei publicae non solum cura sed quaedam etiam procuratio multis officiis implicatum et constrictum tenebat, haec inclusa habebam, et ne obsolescerent renovabam cum licebat legendo; nunc vero et fortunae gravissimo percussus vulnere et administratione rei publicae liberatus doloris medicinam a philosophia peto et oti oblectationem hanc honestissi-

^a The death of his daughter Tullia.

esse dictum quod haec esset una omnis¹ sapientia, non arbitrari se scire quod nesciat. Quae cum diceret constanter et in ea sententia permaneret, omnis eius oratio tamen² in virtute laudanda et in hominibus ad virtutis studium cohortandis consumebatur, ut e Socraticorum libris maximeque Platonis intellegi
 17 potest. Platonis autem auctoritate, qui varius et multiplex et copiosus fuit, una et consentiens duobus vocabulis philosophiae forma instituta est, Academicorum et Peripateticorum, qui rebus congruentes nominibus differebant; nam cum Speusippum sororis filium Plato philosophiae quasi heredem reliquisset, duos autem praestantissimo studio atque doctrina, Xenocratem Calchedonium et Aristotelem Stagiriten, qui erant cum Aristotele Peripatetici dicti sunt quia disputabant inambulantes in Lycio, illi autem quia³ Platonis instituto in Academia, quod est alterum gymnasium, coetus erant et sermones habere soliti, e loci vocabulo nomen habuerunt. Sed utrique Platonis ubertate completi certam quandam disciplinae formulam composuerunt et eam quidem plenam ac referatam, illam autem Socraticam dubitanter⁴ de omnibus rebus et nulla adfirmatione adhibita consuetudinem disserendi reliquerunt. Ita facta est, quod minime Socrates probabat, ars quaedam philosophiae et rerum
 18 ordo et descriptio disciplinae. Quae quidem erat

¹ hominis *Lambinus*.

² *Gruter*: tam *codd.*

³ quia? *Reid*: qui a, qui *codd.*

⁴ *Baïter*: dubitantem, dubitationem *codd.*

^a Plato, *Apology*, 21 A.

^b Cicero is translating δαίδοχος.

^c At the entrance to the Bosphorus, nearly opposite to Byzantium.

^d On the coast of Macedon.

^e This famous Athenian gymnasium had a much-frequented *peripatos* or promenade.

cetera autem pertinere ad id putant aut adaugendum aut tuendum,¹ ut divitias, ut opes, ut gloriam, ut gratiam. Ita tripartita ab iis inducitur ratio bonorum.

- 22 VI. "Atque haec illa sunt tria genera quae putant plerique Peripateticos dicere. Id quidem non falso, est enim haec partitio illorum; illud imprudenter, si alios esse Academicos qui tum² appellarentur, alios Peripateticos arbitrantur. Communis haec ratio et utrisque hic bonorum finis videbatur, adipisci quae essent prima natura quaeque ipsa per sese expetenda, aut omnia aut maxima; ea sunt autem maxima quae in ipso animo atque in ipsa virtute versantur. Itaque omnis illa antiqua philosophia sensit in una virtute esse positam beatam vitam, nec tamen beatissimam nisi adiungerentur et corporis et cetera quae supra
- 23 dicta sunt ad virtutis usum idonea. Ex hac descriptione agendi quoque aliquid in vita et officii ipsius initium reperiabatur, quod erat in conservatione earum rerum quas natura praescriberet. Hinc gignebatur fuga desidia voluptatumque contemptio, ex quo laborum dolorumque susceptio multorum magnorumque recti honestique causa et earum rerum quae
- ἐὸ καλόν*
- 24 erant congruentes cum descriptione naturae, unde et amicitia exsistebat et iustitia atque aequitas, eaeque et voluptatibus et multis vitae commodis anteponebantur. Haec quidem fuit apud eos morum institutio et eius partis quam primam posui forma atque descriptio.
- 24 "De natura autem (id enim sequebatur) ita dice-

¹ *Lambinus*: tenendum *codd.*

² *Reid*: dum *codd.*

^a A dual rendering of τὸ καλόν.

docere quod et qua de causa discidium factum sit, ut
 44 videamus satisne ista sit iusta defectio." Tum ego,
 "Cum Zenone," inquam, "ut accepimus, Arcesilas
 sibi omne certamen instituit, non pertinacia aut studio
 vincendi, ut mihi quidem videtur, sed earum rerum
 obscuritate quae ad confessionem ignorationis ad-
 duxerant Socratem et iam ante Socratem Democri-
 tum, Anaxagoram, Empedoclem, omnes paene veteres,
 qui nihil cognosci, nihil percipi, nihil sciri posse dixe-
 runt, angustos sensus, imbecillos animos, brevia curri-
 cula vitae, et, ut Democritus, in profundo veritatem
 esse demersam, opinionibus et institutis omnia teneri,
 nihil veritati relinqui, deinceps omnia tenebris circum-
 45 fusa esse dixerunt. Itaque Arcesilas negabat esse
 quidquam quod sciri posset, ne illud quidem ipsum,
 quod Socrates sibi reliquisset: sic omnia latere cense-
 bat in occulto, neque esse quidquam quod cerni aut
 intellegi posset; quibus de causis nihil oportere neque
 profiteri neque adfirmare quemquam neque adsen-
 sione approbare, cohibereque semper et ab omni lapsu
 continere temeritatem, quae tum esset insignis cum
 aut falsa aut incognita res approbaretur, neque hoc
 quidquam esse turpius quam cognitioni et percep-
 tionis adensionem approbationemque praecurrere.
 Huic rationi quod erat consentaneum faciebat, ut
 contra omnium sententias disserens in eam¹ plerosque
 deduceret, ut cum in eadem re paria contrariis in

¹ in eam *Madvig*: dies iam *codd.* (de sua *unus*).

^a ἐν βυθῷ ἢ ἀλήθεια *Diog. L. ix. 72.*

^b We do not even know that nothing can be known:
cf. ii. 73.

of Arcesilas, to explain the nature and the reason of
 the rupture that took place, so as to enable us to see
 44 whether the secession was fully justified." "It was
 entirely with Zeno, so we have been told," I replied,
 "that Arcesilas set on foot his battle, not from
 obstinacy or desire for victory, as it seems to me at all
 events, but because of the obscurity of the facts that
 had led Socrates to a confession of ignorance, as also
 previously his predecessors Democritus, Anaxagoras,
 Empedocles, and almost all the old philosophers, who
 utterly denied all possibility of cognition or percep-
 tion or knowledge, and maintained that the senses
 are limited, the mind feeble, the span of life short,
 and that truth (in Democritus's phrase) is sunk in
 an abyss,^a opinion and custom are all-prevailing, no
 place is left for truth, all things successively are
 45 wrapped in darkness. Accordingly Arcesilas said
 that there is nothing that can be known, not even
 that residuum of knowledge that Socrates had left
 himself—the truth of this very dictum^b: so hidden
 in obscurity did he believe that everything lies, nor
 is there anything that can be perceived or under-
 stood, and for these reasons, he said, no one must
 make any positive statement or affirmation or give
 the approval of his assent to any proposition, and a
 man must always restrain his rashness and hold it
 back from every slip, as it would be glaring rashness
 to give assent either to a falsehood or to something
 not certainly known, and nothing is more disgrace-
 ful than for assent and approval to outstrip know-
 ledge and perception. His practice was consistent
 with this theory—he led most of his hearers to accept
 it by arguing against the opinions of all men, so
 that when equally weighty reasons were found on

Develop-
 ments of
 Arcesilas
 justified;

quam aliud videndum est nobis quos populus Romanus hoc in gradu conlocavit nisi ne quid privatis studiis de opera publica detrahamus. Quodsi cum fungi munere debebamus non modo operam nostram numquam a populari coetu removimus sed ne litteram quidem ullam fecimus nisi forensem, quis reprehendet otium nostrum, qui in eo non modo nosmet ipsos hebescere et languere nolumus sed etiam ut plurimis prosimus enitimur? Gloriam vero non modo non minui sed etiam augeri arbitramur eorum quorum ad popularis inlustrisque laudes has etiam minus 7 notas minusque pervolgatas adiungimus. Sunt etiam qui negent in iis qui in nostris libris disputent fuisse earum rerum de quibus disputatur scientiam: qui mihi videntur non solum vivis sed etiam mortuis invidere.

III. Restat unum genus reprehensorum quibus Academiae ratio non probatur. Quod gravius ferremus si quisquam ullam disciplinam philosophiae probaret praeter eam quam ipse sequeretur. Nos autem quoniam contra omnes dicere quae¹ videntur solemus, non possumus quin alii a nobis dissentiant recusare: quamquam nostra quidem causa facilis est, qui verum invenire sine ulla contentione volumus idque summa cura studioque conquirimus. Etsi enim omnis cognitio multis est obstructa difficultatibus, eaque est et in ipsis rebus obscuritas et in iudiciis nostris infirmitas

¹ dicere quae *Reid*: qui dicere quae *codd.*, qui scire sibi *Cant.*

^a *i.e.*, the *dramatis personae* of the dialogues that follow.

^b *Cf.* 'preach Christ of contention,' *Philippians* i. 16, and *Hebrews* i. 3, *Thessalonians* ii. 2.

dicere, ad verum ipsum aut quam proxime accedant, confidere sibi poterunt. Ut enim confidant, notum iis esse debet insigne veri, quo obscurato¹ et oppresso quod tandem verum sibi videbuntur attingere? Quid autem tam absurde dici potest quam cum ita loquuntur, 'Est hoc quidem illius rei signum aut argumentum, et ea re id sequor, sed fieri potest ut id quod significatur aut falsum sit aut nihil sit omnino'? Sed de perceptione hactenus; si quis enim ea quae dicta sunt labefactare volet, facile etiam absentibus nobis veritas se ipsa defendet.

- 37 XII. "His satis cognitis quae iam explicata sunt, nunc de adsensione atque adprobatione, quam Graeci *συγκατάθεσιν* vocant, pauca dicemus—non quo non latus locus sit, sed paulo ante iacta sunt fundamenta. Nam cum vim quae esset in sensibus explicabamus, simul illud aperiebatur, comprehendere multa et percipi sensibus, quod fieri sine adsensione non potest. Deinde cum inter inanimatum et animal hoc maxime intersit quod animal agit aliquid (nihil enim agens ne cogitari quidem potest quale sit), aut ei sensus adimendus est aut ea quae est in nostra potestate sita
- 38 reddenda adsensio. At vero animus quodam modo eripitur iis quos neque sentire neque adsentiri volunt; ut enim necesse est lancem in libra² ponderibus im-

¹ *Lambinus*: obscuro *codd.*

² libram *codd.* nonnulli.

^a *i.e.*, different from what it seems.

^b *i.e.*, the mental acceptance of a sensation as truly representing the object; *cf.* i. 40.

^c § 20.

positis deprimi, sic animum perspicuis cedere : nam quo modo non potest animal ullum non adpetere id quod accommodatum ad naturam adpareat (Graeci id οἰκείον appellant), sic non potest obiectam rem perspicuam non adprobare. Quamquam, si illa de quibus disputatum est vera sunt, nihil attinet de adsensione omnino loqui ; qui enim quid percipit adsentitur statim. Sed haec etiam sequuntur, nec memoriam sine adsensione posse constare nec notitias rerum nec artes ; idque quod maximum est, ut sit aliquid in nostra potestate, in eo qui rei nulli adsentietur non erit : ubi igitur virtus, si nihil situm est in ipsis
 39 nobis ? Maxime autem absurdum vitia in ipsorum esse potestate neque peccare quemquam nisi adsensione, hoc idem in virtute non esse, cuius omnis constantia et firmitas ex iis rebus constat quibus adsensa est et quas adprobavit. Omninoque ante videri aliquid quam agamus necesse est eique quod visum sit adsentiat.¹ Quare qui aut visum aut adsensum tollit, is omnem actionem tollit e vita.

40 XIII. "Nunc ea videamus quae contra ab his disputari solent. Sed prius potestis totius eorum rationis quasi fundamenta cognoscere. Componunt igitur primum artem quandam de iis quae visa dicimus, eorumque et vim et genera definiunt, in his quale sit id quod percipi et comprehendi possit, totidem verbis quot Stoici. Deinde illa exponunt duo quae

¹ adsentiamur *Davies* : adsentiri *Lambinus*.

^a See § 30 n.

^b See i. 32 n.

^c *Quasi* marks a tentative rendering of θεμέλιοι as does *quandam* just below one of τέχνη φαντασιῶν ; and apparently also *quasi contineant* renders some other Greek technical term, perhaps συνέχειν ; cf. §§ 20, 107.

^d *Id* . . . *possit* = τὸ καταληπτόν.

or distinction between them ; for what is the reason, you will say, why whereas in the rest of the worlds, countless numbers as they are, there not only can be but actually are a countless number of Quintus Lutatius Catuluses, arisen out of those atoms out of which Democritus declares that everything comes into existence, yet in this vast world another Catulus cannot possibly be produced ?

- 56 XVIII. " In the first place indeed you summon me before Democritus ; whose opinion I do not accept but rather reject, on the ground of the fact that is lucidly proved by more accomplished natural philosophers,^a that particular objects possess particular properties. For suppose that the famous Servilius twins of old days did resemble each other as completely as they are said to have done : surely you do not think that they were actually identical ? Out of doors they were not known apart, but at home they were ; they were not by strangers, but they were by their own people. Do we not see that it has come about that persons whom we thought we should never be able to know apart we have come by the exercise of habit to know apart so easily that they did
- 57 not appear to be even in the least degree alike ? At this point although you may show fight I shall not fight back ; indeed I will actually allow that the wise man himself who is the subject of all this discussion, when he encounters similar things that he has not got distinguished apart, will reserve his assent, and will never assent to any presentation unless it is of such a description as could not belong to a false presentation. But just as he has a definite technique applicable to all other objects to enable him to distinguish the true from the false, so to the resemblances you

Twins, and eggs, are really distinguishable.

est: ut mater geminos internoscit consuetudine oculorum, sic tu internosces si adsueveris. Videsne ut in proverbio sit ovorum inter se similitudo? tamen hoc accepimus, Deli fuisse complures salvis rebus illis qui gallinas alere permultas quaestus causa solerent; ii cum ovum inspexerant, quae id gallina
 58 peperisset dicere solebant. Neque id est contra nos, nam nobis satis est ova illa non internoscere, nihil enim magis adsentiri par est hoc illud esse quasi¹ inter illa omnino nihil interesset; habeo enim regulam ut talia visa vera iudicem qualia falsa esse non possint; ab hac mihi non licet transversum, ut aiunt, digitum discedere, ne confundam omnia. Veri enim et falsi non modo cognitio sed etiam natura tolletur si nihil erit quod intersit, ut etiam illud absurdum sit quod interdum soletis dicere, cum visa in animos imprimantur, non vos id dicere, inter ipsas impressiones nihil interesse, sed inter species et quasdam formas eorum. Quasi vero non specie visa iudicentur, quae fidem nullam habebunt sublata veri et falsi nota!
 59 Illud vero perabsurdum quod dicitis probabilia vos sequi si nulla re impediamini. Primum qui potestis non impediri cum a veris falsa non distent? deinde

quasi *Madvig*: quam si *codd.*

^a *Species* here combines the sense of 'appearances' with that of 'kinds' which it still bears in zoology; it translates *εἶδη*, and *quasdam* marks *formas* as an explanatory synonym.

432

266

420

426

05-20 MIN
Arendt, PA6156.C5 A2 1956
Cicero, Marcus Tullius
De natura deorum [and]
Academica, 996848

www.colibrisystem.com